

est peccatum mortale; licet verò hæc obligatio gravis ab aliquibus extendatur ad omnes etiam sacris nondum initiatos Clericos, attamen verius est, quod excusentur Clerici in minoribus constituti, si careant beneficio, cum possit à statu Clericali resilire, quod à fortiori procedit de Clericis conjugatis Cap. Joannes 7. de Cler. conjug. Imò tales si Bigami sint, utpote privati omni privilegio Clericali, non debent deferre Tonsuram ex Cap. altercationis de Big. in 6. Quod si verò Clerici in minoribus constituti obtineant beneficium vel pensionem Ecclesiasticam, obligantur ad deferendam Tonsuram & habitum cit. Cap. Joannes 7.

Porro nullibi præscribuntur certæ vestes, sed communi Regionis usui relinquitur, juxta quem expendi debeat vestium decencia, præcipuè vero cavendum est, ut ex earum aspectu agnoscantur esse Clerici ut ex Clement. 1. de elect. & Can. si quis virorum 15. Dist. XXX. colligitur.

DISPUTATIO XLIV.

De sponsalibus.

Sponsalia dicuntur à spondendo: quia olim Parentes vel amici spondebant pro uxore, quæ exindè sponsa & futurus maritus sponsus appellebatur, alia sunt de præsentibus, alia de futuro, sponsalia de præsentibus sunt ipse contractus matrimonialis per verbum præsentis temporis initus, ut accipio te in uxorem meam, quibus verbis implicite mutua cohabitatio, amor conjugalis, & traditio corporum ad finem matrimonii spondetur, de sponsalibus de futuro sit

QUÆSTIO I.

Quenam requirantur ad valorem sponsalium?

DICO. Cum sponsalia sint quedam promissiones futurorum, oportet quod illorum sint qui aliquo modo

modo promittere possunt. S. Th. hic Q. 43. A. 2. O.
sive sponsalia valida sunt promissio mutua futuri matri-
monii inter Personas habiles.

Dicitur: promissio, quia sponsalia sunt aliquis
contractus, ad quem requiritur consensus signo ali-
quo externo expressus, undè nec sola promissio inter-
na nec sola externa potest sufficere ad sponsalia, non
sola interna, quia licet homo Deo scrutanti corda pos-
sit obligari solo actu interno, ut fit per votum, non
tamen potest homo obligari alteri homini, nisi modo
humano adeoque sensibili, nec sufficit sola promissio
externa: quia si animus promittendi desit, est fictio
promissionis, ex qua fictione nulla oriuntur sponsalia
deficiente voluntario consensu essentialiter ad sponsa-
lia requisito, licet ex alio capite fictè promittens obli-
getur ad servandam fidem & promissionem, quando
nempe sub spe & promissione matrimonii virginem de-
floravit: quia in omni contractu oneroso, in quo
intervenit: do ut des, facio ut facias, oritur obligatio
iustitiæ commutativæ, vicujus quamprimum unus
contrahentium rem in contractum deductam ex sua
parte implevit, alter quoque ex sua parte tenetur im-
plere, quod promisit, cum ergo pro matrimonio
promisso virgo in deflorationem consensit, sicque ex
sua parte contractum implevit, ideo etiam promit-
tens ab initio tenebatur habere veram voluntatem pro-
mittendi, quam si non habuerit, tenetur depositâ
simulatione eandem ducere, & sic ex sua parte con-
tractum implere.

Dixi: sine animo promittendi: quia si sit ani-
mus promittendi, sed non adsit voluntas exequendi,
promissio est valida, sed propter adjunctum malum
propositum non satisfaciendi obligationi est illicita.

Dicitur 2. Promissio mutua: quia ad sponsalia
constituenda requiritur mutuus & reciprocus consen-
sus:

sus: con-
quirit con-
hentes ex
non suffic-
missione sa-
promissio-
nisi & ipsa
tur se alite
sponsalium
Pars repro-
fieri ab u-
si dives,
in remu-
cum in i-
dirione
luntate,
ceptet ta-
missio g-
mina ex
contrah-
quia tar-
ex defec-
donatio-
tem deb-
tur con-
is qui p-
usque d-
id unive-
ur empe-
non tan-
possunt
Hæc
rem con-
monium
I. Q.

sus: cum sponsalia sint contractus onerosus, qui re-
 quirat conventionem reciprocam, per quam contra-
 hentes ex vi contractus sibi mutuò obligantur, unde
 non sufficit, si una tantum pars promittat sine repro-
 missione saltem implicitâ alterius partis, nec ex tali
 promissione ab unâ parte factâ altera pars acquirit jus,
 nisi & ipsa repromiserit: quia promittens non cen-
 setur se aliter velle obligare, quam secundum naturam
 sponsalium & sub conditione tacitâ, si etiam altera
 Pars repromittat; potest quidem aliquando promissio
 fieri ab unâ parte merè gratuitò sine conditione v.g.
 si dives, cui puella pauper plura obsequia exhibuit,
 in remunerationem eidem promittat matrimonium,
 cum in ipsius potestate sit vel simpliciter vel sub con-
 ditione se obligare, dummodo constet de hâc suâ vo-
 luntate, & fœmina non renuat, sed saltem tacitè ac-
 ceptet talem promissionem, interim tamen talis pro-
 missio gratuita non habebit vim sponsalium, sed si fœ-
 mina ex sua parte post acceptatam promissionem nolit
 contrahere matrimonium, ad id non potest compelli,
 quia tantum habuit sibi virum obligatum, ipsa verò
 ex defectu repromissionis non fuit obligata, sicut si
 donationem aliquam gratuitam acceptasset; licet au-
 tem debeat esse consensus mutuus, non tamen requiri-
 tur consensus formaliter simultaneus, sed sufficit, si
 is qui prior consensit, in hâc suâ voluntate perseveret,
 usque dum etiam altera pars vicissim consentiat, prout
 id universaliter in aliis quoque contractibus onerosis:
 ut emptione, locatione &c. sufficit; unde sponsalia
 non tantum inter præsentes sed etiam absentes contrahi
 possunt nempe per litteras vel Procuratores.

Hæc tamen notabilis est differentia inter Procurato-
 rem constitutum ad contrahenda sponsalia vel matri-
 monium, & Procuratorem ad alia negotia.

I. Quod ad alia negotia gerenda sufficiat manda-
 tum

tum generale, omnia vice Domini peragendi, matrimonium vero vel sponsalia Procurator nomine principalis contrahere non potest, nisi hoc ei nominatim & in specie demandatum sit.

2. Procurator ad alia negotia constitutus ea per se tractare non tenetur, sed potest alium substituere, non autem Procurator ad sponsalia vel matrimonium contrahendum: quia cum causa matrimonialis sit maximi momenti, ad hanc tractandam industria Personæ censetur electa, & consequenter sine voluntate principalis alteri committi non potest.

3. In aliis causis si principalis mandatum Procuratoris revocet in ejus absentia, validè adhuc Procurator negotium sui Domini agit usque dum revocatio Procuratori innotescat, at Procurator sponsalium vel matrimonii in absentia revocari potest, ita ut si Dominum datæ commissionis pœniteat, Procurator invalidè contrahat, licet hujus revocationis sit ignarus. Est verò ratio hujus disparitatis: quod in aliis contractibus vi domini alii in bona fortunæ Respublica possit consensum personalem supplere, nulli autem nisi soli Deo & propriæ voluntati sunt corpora propria in Ordine ad matrimonium subjecta, & consequenter consensus personalis suppleri non potest, si semel fuerit revocatus.

Dicitur 3. Futuri matrimonii, per quæ verba sponsalia distinguuntur ab ipso contractu matrimoniali: eò quod sponsalia fiant per verba de futuro vel formaliter vel virtualiter, matrimonium autem per verba de præsentî. *Dico*: per verba vel formaliter vel virtualiter, quia sufficit quodcunque signum externum, ex quo contrahentes mutuam consensum de matrimonio contrahendo sufficienter intelligunt, ideo quandoque sufficit acceptatio annuli, si juxtà loci consuetudinem traditio annuli significet promissionem matrimonii, maxi-

maximè
tiis, imò
rum suffi
præsentib
aliquibus
papillis p
contradice
consensus
sus eand
leges & C
stituat ve
quod pr
ligentes,
vinculur
nientes
quod qu
debitum
lib. 4. t
adulteru
cui vuln
nerit ad
re; qui
honestat
Dici
les ad co
diti sept
vel dirit
Ex
I. Con
determir
monium
natas, it
nium; u
unam ex
III. Pa

maximè quando mentio vel tractatio præcessit de nuptiis, imò aliquando silentium liberorum vel pupillorum sufficit, quando nempe Parentes pro prolibus præsentibus & doli capacibus (ad quod extenditur ab aliquibus contrahentes tutores aut curatores pro pupillis præsentibus & doli capacibus) & non contradicentibus matrimonium spondeant, non quod consensus parentum aut tutorum (si horum consensus eandem vim habeat, quod non est certum, cum leges & Canones loquantur de solis Parentibus) constituat vera sponsalia, si proles non consentiant, sed quod præsumantur consentire, si præsentibus & intelligentes, quid agatur, taceant, aliàs ex illis nullum juris vinculum oritur, nisi ad ætatem puberem pervenientes filii & filiæ factum Parentum ratificaverint, quod quidem honestum & decens est, non tamen est debitum. Non obstante Cap. 1. de despons. impub. lib. 4. tit. 2. in quo dicitur: *potest filium nondum adultum (voluntas cuius discerni non potest) Pater cui vult matrimonio tradere, & postquam filius pervenerit ad perfectam ætatem omninò debet hoc adimplere*; quia juxta Gl. particula *debet* significat debitum honestatis non necessitatis

Dicitur 4. Inter personashabiles. Sunt autem habiles ad contrahenda sponsalia omnes usu rationis præditi septennio majores nullo impedimento impediante vel dirimente matrimonium obstructi.

Ex quibus ad valorem sponsalium debent. I. Contrahentes esse vir & fœmina in individuo determinati, sicut enim non potest subsistere matrimonium, nisi inter personas individualiter determinatas, ita nec sponsalia, quæ sunt via ad matrimonium; undè qui v.g. tribus sororibus promitteret se unam ex iis ducturam. hæc promissio licet à tribus

III. Partis Theol. Schol. suppl.

FF

illis

illis acceptata, non constitueret vera sponsalia, licet promittens ratione promissionis acceptatae esset obligatus ad unam ex tribus sororibus ducendam.

2. Debet utraque Persona contrahens sponsalia complevisse septimum ætatis annum; quia circa hanc ætatem præsumunt jura adesse sufficiens judicium ad intelligendam obligationem sponsalium, quod si verò constaret in puero septenni non esse sufficientem usum rationis, sponsalia non valerent. An verò valeant sponsalia ante septennium contracta ab iis, qui jam usu rationis pollent? fundamentum sententiæ negativæ est: quia Cap. *infantes un. de despons. impub. in 6.* absolutè dicitur: *si infantes ad invicem vel unus major septennio & alter minor sponsalia contraxerint ipsi vel Parentes pro eis, nisi per cohabitationem eorum mutuam, seu aliàs verbo vel facto ipsorum liquido appareat, eosdem in eadem voluntate factos majores septennio perdurare, sponsalia hujusmodi, quæ ab initio nulla erant, per lapsum dicti temporis minimè convalescunt;* ubi non ob defectum usus rationis sed ob defectum ætatis declarantur irrita sponsalia septennio minorum. Et licet in L. in sponsalibus 14. ff. de spons. lib. 23. tit. 1. dicatur, quod in sponsalibus ætas definita non sit sicut in matrimoniis) sed à primordio ætatis sponsalia effici posse, si modò id fieri ab utràque persona intelligatur. Attamen non est sensus, quod nulla requiratur determinatio ætatis, sed quod talis non requiratur, qualis in matrimonio, cæterum non esse satis, quod contrahens sciat, quid agatur, apertè insinuatur L. cit. dum additur: *id est: si non sint minores quam septem annis.* Frustrà autem jura determinassent septennium, si voluissent sufficere solum usum rationis. Difficultatem facit Cap. *juvenis 3. de sponsal. in quo ex sponsalibus cum minore septennio contractis dicitur esse ortum impedimentum publicæ honestatis*

nestatis, quod ex sponsalibus defectu consensûs invalidis etiam olim non oriebatur, sed respondendum videtur, quod in casu dicti Capituli post septennium fuerint ratificata, ut colligitur ex eo, quod allegetur dubium de attentatione carnalis copulæ.

3. Non debet inter contrahentes intercedere aliquod impedimentum dirimens matrimonium; quia ad impossibile nemo se obligare potest; sed cum impedimento dirimente contractum matrimonium est ut sic impossibile; ergo ad illud nemo se obligare potest, undè licet sit facta promissio matrimonii sub conditione impetratæ dispensationis super impedimento dirimente; non tamen sunt vera sponsalia, nisi post impetratam dispensationem. Ubi hæc adhibenda est distinctio, si contrahant sponsalia sub conditione dispensationis, quam summus Pontifex solet concedere: cum tunc conditio censeatur moraliter possibilis; tenentur ad petendam & expectandam conditionis impletionem, si verò non soleat aut non possit licitè dispensare, nulla est obligatio talium sponsalium, sed invalida sunt. Impetratâ verò dispensatione, licet ab aliquibus negentur valere similia sponsalia, eò quod intentio summi Pontificis non videatur extendi ad firmanda & approbanda sponsalia præterita sed tantum ad contrahendum; attamen quia nihil illiciti videntur talia sponsalia non de absolutè contrahendo matrimonio sed tantum de petenda & post obtentam dispensationem licitè ineundo matrimonio, nulla videtur solida ratio, quare non habeant suum valorem.

4. Nullus contrahentium debet esse obstrictus aliquo impedimento impediante vel reddente illicitum matrimonium: quia ad rem illicitam nullus se obligare potest, licet talis permissio foret juramento confirmata: juramentum enim non est vinculum iniquitatis; hinc imprimis nulla essent sponsalia, si alteruter ex

Sponsis cum alio prius contraxisset sponsalia: quia secundum leges iustitiæ res uni obligata alteri rursus obligari & promitti non potest, quamdiu juri suo non renuntiavit.

Nec refert: quod secunda sponsalia sint firmata copulâ aut juramento, nam illa copula post Trid. receptum non est maritalis, sed fornicaria, juramentum etiam non est vinculum iniquitatis, aliud foret, si secunda sponsalia essent de præsentî, tunc enim non promitteretur, sed fieret matrimonium, & corpus actu traderetur; licet autem res uni obligata non possit validè alteri promitti, potest tamen validè tradi; deindè votum etiam simplex castitatis regulariter invalida reddit sponsalia, eo ipso, quod habenti votum castitatis illicitum sit matrimonium ejusque usus, demum ex eâdem causâ invalida sunt sponsalia inter eos, quorum unus fecit votum aut juramentum ingrediendi Religionem, suscipiendi sacros Ordines, non ineundi matrimonium, hæc omnia quippe statum matrimonii reddunt illicitum

Q U Æ S T I O II.

An valeant sponsalia conditionata?

PRO intelligentia videantur dicta 2. 2. Disput. XXX. Q. II. §. 2.

DICO. *Aut est conditio honesta, . . . Et tunc stante conditione stat promissio Et non stante non stat, aut est inhonesta, Et hoc dupliciter, quia aut est contraria bonis matrimonii. . . Et tunc non contrahuntur sponsalia, aut non est contraria bonis matrimonii. . . Et tunc stat promissio sed tollenda est conditio S. Th. hic Q. 43. A. 1. O.*

Explicatur Conclusio: Variæ sunt conditiones, quæ contractui sponsalitiõ adjici possunt.

1. *Conditio est impossibilis vel turpis, sed non*

repugnans matrimonio: v.g. ducam te si cœlum tetigeris, vel si furtum commiseris, & hæc habetur pro non adjectâ, sive in foro externo joci causa censetur appositâ, nisi ex aliis circumstantiis constet ferio fuisse appositâ aut animum contrahendi abfuisse: quamvis enim jura præsumant talem conditionem joci causa appositam fuisse, hæc tamen præsumptio juris per contrarias probationes vel præsumptiones elidi potest, ideo si Hæreticus Catholicæ matrimonium promitteret sub ea conditione, si Religionem Catholicam desereret; ferio egisse censetur, quamvis conditio sit turpis.

2. Si conditio turpis adjecta repugnet bonis matrimonii, quæ sunt vinculum indissolubile, fides thori conjugalis & generatio proles v.g. ducam te ulque dum ditiozem invenero, invalida sunt sponsalia: quia non præsumitur habere verum consensum de matrimonio ineundo, qui ponit conditionem pugnantem cum substantia & fine intrinseco matrimonii. Porro illæ conditiones dicuntur repugnare bonis matrimonii, quibus positive & contrariè illa bona impediuntur v.g. si procuraveris sterilitatem, si obliges te ad adulterium &c. aliqua enim sunt, quibus non obtinetur finis matrimonii v.g. abstergentia ab actu conjugali & hæc dicuntur tantum negativè repugnare matrimonio, quorum expressio in sponsalibus contractum non vitiat, sicut possent contrahi sponsalia sub conditione aut potius sub modo, ut neutra Pars jure suo ad copulam conjugalem utatur: quo modo nihil est positivè faciendum, cum quo simul impediatur finis matrimonii.

3. Si honesta conditio sit de præterito vel de præsentem v.g. ducam te, si sis primogenita, si non fuisti in alio matrimonio: conditione hæc subsistente sponsalia sunt valida, illâ autem non extante sponsalia sunt

invalida : quia valor promissionis conditionatæ dependet à veritate conditionis.

4. Si conditio honesta sit de futuro suspendit valorem contractus usque ad eventum conditionis, illa autem eveniente sponsalia de conditionatis fiunt absoluta, habentque omnes effectus sponsalium v.g. ducam te si in dotem dederis tantam summam, summam illam persolutam tenebit contractus, quia hæc est natura contractus sub conditione iniri, ut purificatam conditione illam obliget ac si fuisset absolutus, ita ut si quis cum cum duabus contraxisset sponsalia de futuro sub conditione, non valeant posteriora sed tantum priora sponsalia, eò quod obligaverit se ad contrahendum matrimonium eveniente conditione, proinde ad expectandum conditionis eventum, ut teneatur primam eveniente conditione ducere, licet prius eveniat conditio sub qua cum secunda & illicitè & invalidè sponsalia contraxit.

Q 1. An liceat contractui sponsalicio addere pœnam conventionalem v.g. ut ille qui resilierit solvat 100. imperiales?

R. Sententia negativa quod pœna conventionalis adjecta sponsalibus, ut eo liberiora sint matrimonia, non obliget, videtur probari ex L. mulier 5. Cod. de sponsalibus L. 134. ff. de V. O. lib. 45. tit. 1. in quâ additur ratio *Quia inhonestum visum est vinculo pœne matrimonia obstringi siue futura siue jam contracta* & Cap. gemma 29 de sponsal. & matrim. at tamen aliqui adhuc sustinent valere pœnam hanc sponsalibus adjectam ei qui injustè resilierit, præsertim si modica sit, oppositas leges & capitula exponentes de pœna excessiva & magna.

Q 2. An contractui sponsalicio adjici possit arrha?

R. Arrha est id, quod traditur sponso vel sponsæ
in

in argumentum vel signum sponsalium contractorum & in pignus futuri matrimonii, quæ ipso facto perditur, si dans injustè à sponsalibus resiliat, matrimonio tamen secuto recuperatur L. 3. & 5. de sponsal. nisi consuetudo sit, quod Arrham accipiens secuto matrimonio eandem retineat, & hæc justè sponsalibus additur ut patet tum ex jure Canonico eam non reprobante, tum ex jure Civili Arrhas approbante.

Q U Æ S T I O III.

Qualem obligationem sponsalia inducant ?

DICO: *Ex tali promissione obligatur unus alteri ad matrimonium contrahendum.* S. Th. in suppl. Q. 43. a. 1. ad 2.

Explicatur: Duplex ex sponsalibus oritur obligatio, prima justitiæ commutativæ suo tempore contrahendi matrimonium: quia omnis contractus onerosus parit in contrahente obligationem justitiæ suo tempore id præstandi, quod in contractum fuit deductum; sed sponsalia sunt contractus onerosus; ergo in contrahentibus pariunt obligationem exequendi suo tempore & contrahendi matrimonium promissum; undè sponsus sine legitimâ causa à sponsalibus resiliens, aut matrimonii celebrationem reculans, aut nimium promissionis executionem differens peccat graviter contra justitiam; quippe non stando promissis alteri gravem injuriam infert; tametsi enim per sponsalia nondum fiat reciproca corporum traditio, quâ acquiritur Jus in re, fit tamen promissio hujus traditionis, quâ obtinetur jus ad rem, ideoque pars injustè resiliens vel matrimonium contrahere reculans per judicem Ecclesiasticum compelli potest ad implenda sponsalia: quia ad judicis officium pertinet curare, ut cuique tribuatur ex justitiâ debitum, cumque cognitio causarum matrimonialium pertineat ad forum Ecclesiæ, pertinet ad

judicem Ecclesiasticum procurare, ut contractus sponsalium suo tempore impleatur ex cap. ex litteris 10. de sponsal. & matr tamen quia sæpe difficiles solent matrimonia coacta habere exitus, desponsati potius monendi quam cogendi sunt.

Dixi: Suo tempore: quia si contractui sponsalicio nullum sit adjectum tempus, contrahendum est matrimonium proximâ occasione accommodâ juxta qualitatem personarum, exigentiam temporis & loci consuetudinem.

Secunda obligatio est cavendi omnia, quæ obstant sponsalium fidei & executioni, excepto ingressu religionis. quia sicut contrahens & promittens præcepto affirmativo obligatur suo tempore implere promissionem, ita præcepto negativo justitiæ tenetur abstinere ab omnibus, quæ contractûs executioni adversantur, & quæ sunt contra fidem sponsalium, quocirca sponsa committens fornicationem cum tertio peccat contra justitiam, atque circumstantiam sponsalium in confessione exprimere debet; quippe per sponsalia jus est acquisitum ad Corpus Sponsi vel Sponsæ matrimonialiter aliquando tradendum, & ideo usus illius Corporis alteri concessus parti contrahenti est injuriosus, ac proindè fornicatio unius ex Sponsis reducitur ad speciem adulterii, quatenus est violatio contractûs sponsaliti, qui est quoddam præambulum matrimonii.

Dixi: Excepto ingressu religionis: quia cum ingressus & professio in religione approbatâ solvat vinculum matrimonii rati, multo magis sponsalium & ita in sponsalibus semper hæc est conditio tacita: nisi perfectiorem statum elegero.

Q U Æ S T I O I V.

Qualiter Sponsalia dissolvantur?

DICO: Cum quis ad religionem confugit & cum alter conjugium cum altero per verba de presenti

con-

contrahit, ipso jure sponsalia dirimuntur sed in aliis casibus dirimi debent secundum iudicium Ecclesie, S. Th. in suppl. Q. 43. A. 3. O.

Explicatur Conclusio: Inductione causarum ex quibus sponsalia vel dissolvuntur vel dissolvi possunt.

1. Dissolvuntur sponsalia mutuo consensu: quia contractus ex natura sua dissolubilis ex eisdem causis dissolvi potest, ex quibus ab initio est constitutus; cum ergo sponsalia mutuo consensu constituentur, mutuo quoque consensu dissolvi possunt, dummodo sponsi sint puberes: quia quando impuberes contraxerunt sponsalia, debent expectare annos pubertatis, quos affecti, si velint, à sponsalibus resilire possunt.

2. Per matrimonium cum tertio validè contractum, quia licet taliter contra fidem in sponsalibus datam contrahens graviter peccet, nihilominus cum duo vincula inter se incompatibilia concurrant, illud tenet quod est fortius, vinculum autem matrimonii est fortius, quam vinculum sponsalium, illo tamen matrimonio dissoluto priora sponsalia reviviscunt, ita ut is qui contra fidem matrimonium cum alio contraxit, dissoluto illo matrimonio per mortem vel professionem teneatur priorem sponsam ducere si velit. *Ratio est*: quia sponsalia per subsequens matrimonium cum aliâ non omnino dissolvuntur sed suspenduntur.

Dices: Obligatio semel extincta non reviviscit ex Can. quæris 129 dist. IV. de consecr. & L. qui res 98. §. aream 8 ff. de solut. lib. 46. tit. 3. atqui per contractum cum alterâ matrimonium extincta est obligatio sponsalium ut probatur ex Can. fin. Caus. XXVII Q. 2. & ex cap. 1. de sponsâ duorum lib. 4. tit. 4.

R. Negando mi. quam non probant textus in Capitulis adductis, sed tantum quod debeat manere in matrimonio: *Si aliam duxerit poenitentiam debet agere*

re de fide mentitâ, maneat tamen cum illâ, quam duxit, unde obligatio manet, quæ ex sponsalibus validis orta est, non quidem ad contrahendum matrimonium stante vinculo matrimoniali cum alterâ, sed illo dissoluto, si prior ad matrimonium contrahendum sit parata: non enim absolutè tollitur hæc obligatio jure positivo: cum nullus textus allegetur illud exprimens; neque tollitur jure naturali: quia est compatibilis cum actuali matrimonio obligatio ad contrahendum eo matrimonio dissoluto, sicut si vovens religionem non obtentâ dispensatione contraxerit & consummaverit matrimonium, manet obligatus ad satisfaciendum voto pro tempore non stantis, sed dissoluti matrimonii. Neque est paritas inter professionem in ordine laxiore, quæ absolutè tollit obligationem voti ingrediendi strictiorem ordinem ex cap. qui post 5. de Regul. in 6. lib. 3. tit. 14 quia est idem creditor videlicet Deus, cui promissio facta est per votum simplex & traditio fit per professionem, plenius autem & perfectius satisfit per traditionem in religione minùs strictâ eidem promissioni; aliud est in promissione matrimonii, cui nullo modo est satisfactum, & soluto matrimonio satis fieri potest.

Dictum est: quod per matrimonium dissolvantur sponsalia: quia per sponsalia de futuro posteriora non solvuntur priora, licet posterioribus addatur Juramentum: quia sunt promissio de re illicitâ, ad quam Juramentum obligare non potest, sed difficultas est an ille, qui post contracta cum unâ sponsalia alteram hujus obligationis ignaram sub spe matrimonii defloravit, sit solutus à prioribus sponsalibus & teneatur posteriorem ducere? fundamentum pro sententiâ negativâ est, quod prior sit tempore & consequenter etiam jure illa, cum quâ priùs contracta sunt sponsalia, quorum obligationi neque obest posterior promissio, quæ est invalida, neque usus corporis sub conditione contrahendi

hendi matrimonii concessus : quia licet per talem copulam injuria fuerit illata mulieri priorum sponsalium ignaræ , hujus tamen injuriæ prior sponsa nullo modo est particeps ; neque damnum illatum , quod aliâ viâ reparari non potest , nisi per contractum matrimonii : habet enim tale damnum respectu prioris sponsæ se omninò per accidens . Hoc verò certum est , quod si posterior sit imprægnata , nec prior aliud damnum patiatur , hæc tum ad compensandum damnum priori illatum , tum ad legitimandam prolem , juri suo si illud per talem casum non sit extinctum , ex charitate renuntiare obligetur.

3. Dissolvuntur sponsalia per professionem in religione approbatâ : cum per illam etiam matrimonium raram dissolvatur ex cap. verum 2. de convers. conjug. lib. 3. tit. 32. in quo Alex. III. ita : *Post consensum legitimum de presenti licitum est alteri altero etiam repugnante eligere monasterium . . . dummodo carnalis, commistio non intervenerit inter eos , & alteri remanenti (si commonitus continentiam servare noluerit) licitum est ad secunda vota transire.* Imò per ipsum ingressum ad novitiatum dissolvuntur sponsalia ex parte manentis in sæculo , quia ingrediens religionem satis declarat se renuntiare sponsalibus , & ex parte illius fit notabilis mutatio , ideoque altera pars manens in sæculo non tenetur novitii professionem expectare.

Dixi : Ex parte manentis in sæculo : quia ingrediens religionem non solvitur obligatione sponsalium , nisi in quantum in religione perseverat , quam si deserat , ut pro libito deferere potest , tenetur ad requisitionem alterius partis matrimonium contrahere , non enim jure positivo , neque naturali absolutè per novitiatum illa obligatio est sublata.

4. Dissolvuntur sponsalia per susceptionem sacrorum ordinum , quamvis enim per sacros ordines ma-
trimo-

matrimonium ratum non dissolvatur, dissolvuntur tamen sponsalia quia sacri ordines sunt impedimentū dirimens matrimonii contrahendi. *Non obest*: quod sacri ordines illicitè invitā sponsā suscipiantur, quia ex aliquo illicitè facto per consequentiam potest auferri Jus alterius, ut de matrimonio illicitè contracto patet, quo suspenditur saltem obligatio sponsalium. Quoad votum tum religionis tum suscipiendi sacros ordines, qualiter dirimat sponsalia, quibus supervenit (si antecedit, certò obstat valori sponsalium) ex jam dictis sequitur, videlicet: quod votum religionis dirimat sponsalia: quia est de eo, quod licitè & cum majore perfectione post sponsalia impleri potest. Votum verò sacrorum ordinum sponsalia non dirimit: quia ordines sacri post sponsalia licitè suscipi non possunt. Votum verò continentiae simpliciter post sponsalia emissum eadem non dirimit, sed manet obligatio ad contrahendum Matrimonium, ita colligitur ex cap. veniens §, qui cler vel vov. vel determinatè debet vovens ingredi religionem, ad quod etiam videtur obligatus Matrimonio jam contracto, sed nondum consummato: cum ingressus religionis sit unicum medium licitum ad servandum votum continentiae post inita sponsalia.

5. Rescinduntur sponsalia superveniente vel detecto quocunque impedimento dirimente Matrimonium v. g. affinitate, cognatione spirituali, quia hoc casu nequit Matrimonium contrahi, ergo obligatio ad contrahendum dissolvitur; si tamen impedimentum dirimens v. g. affinitatis post contracta legitimè sponsalia ex alterius causa supervenerit, tenetur nocens parti innocenti ad satisfactionem, vel procurare dispensationem, ne ex suo scelere lucrum reportet.

6. Possunt sponsalia rescindi ratione absentiae
quia

quia nimirum sponsus v. g. se separat à sponsa exeundo è patria absque partis desponsatæ consensu sine iusta causa & spe proximi reditus. Ex cap. de illis s. de sponsal. & Matr. in quo Alex. III. de illis autem, qui præstato juramento promittunt se aliquas mulieres ducturos, & postea eis in ignis dimittunt terram, se ad partes alias transferentes, hoc tibi volumus innotescere, quod liberum erit mulieribus ipsis (si non est amplius in facto processum) ad alia se vota transferre: receptâ tamen de perjurio pœnitentiâ, si per eas steterit, quominus fuerit Matrimonium consummatum: ex quo textû potest statim sponsus vel sponsa ad aliud Matrimonium transire, si certum sit alteram partem ad remotas partes sine consensu transeuntem non esse proximè reversuram.

7. Dissolvi possunt sponsalia ratione doli & deceptionis, tametsi error non sit circâ substantiam contractus: ut si una pars se divitem finxerit, vel claro genere natam &c. altera pars decepta cognito dolo & fallacia potest sponsalia quamvis jurata dissolvere. Ex alibi dictis de contractibus.

8. Propter supervenientem fornicationem sponsi vel sponsæ cum alio potest pars innocens sponsalia dissolvere, quia non servanti fidem, fides non est habenda. Et hoc de sponsa intelligendum est etiam si vi fuisset oppressa ab alio, quia etiam si tunc sponsa non fregerit fidem sponsalitiâ, fit tamen notabilis mutatio ex parte sponsæ & fit deterior, imò & tactus impudici & oscula præsertim si frequentius accidant, tum ex parte sponsæ (de qua minus est dubium) tum etiam probabilius ex parte sponsi præbent causam sufficientem dissolvendi sponsalia: quia sponsam reddunt notabiliter viliores & sponsum reddunt de majore ergâ alias mulieres affectione

ne suspectum, etiam videntur datæ fidei de reser-
vando cuilibet usu corporis repugnare.

9. Denique sponsalia rescindi possunt, quando ex
parte alterius notabilis mutatio supervenit, aut saltem
talis status detegitur, ut si tempore contractûs spon-
salitii res nota fuisset, sponsus v. g. sponsæ Matri-
monium non promississet, licet nullus dolus inter-
venerit, sed sola ignorantia: quia sponsalibus in-
est hæc tacita conditio: si res in tali statu maneant,
aut ita sint, ut apparent, in specie verò ejusmodi
mutationes notabiles sunt in bonis animi, si unus
ex sponsis ad hæresin deficiat, crimen committat, ex
quo infamia oritur, ex virtuoso fiat vitiosus, appa-
reat asper in moribus, inter sponso aut consanguini-
cos sponsores timeantur graves inimicitiae. In bo-
nis corporis si sponsa inveniatur ab aliquo corrupta
etiam ante sponsalia. *Dixi sponsa*: quia si sponsus
ante sponsalia inveniatur esse fornicatus, non vide-
tur adeò probrosum & consequenter ob id non pos-
sunt dissolvi sponsalia, nisi inveniatur cum pluribus
fuisse fornicatus, ut huic vitio censeatur deditus.
Si unus ex sponsis post sponsalia laboret morbo con-
tagioso & incurabili, si alter ex sponsis contrahat
notabilem deformitatem. Item in bonis fortunæ si
alterutri supervenit notabilis paupertas, quod si, al-
tero ex sponsis in eodem statu permanente, alteri
magnæ divitiæ vel honores obveniant, verius est
sponsalia dissolvi non posse: eò quod auctis divi-
tiis & honoribus, non varietur respectus in celebra-
tione sponsalium ad alium habitus, utpotè qui in
eodem statu perseverat, ex his & similibus causis
dissolvi possunt sponsalia, si causæ sint certæ propriâ
authoritate, si causæ sint dubiæ authoritate Judicis,
nisi post talem causam supervenientem vel de novo
cognitam sponsalia vel verbis vel ipso facto sint rati-
ficata..

Q. An sponsalia ex metu iniura sint valida?

R. Si sit metus injustus directè ad extorquendum consensum incussus cadens in constantem virum vel fœminam ex communi sententiâ ex eadem ratione, quâ invalidum est Matrimonium, etiam sunt sponsalia ipso jure invalida, licet enim textus Juris tantum loquantur de Matrimonio coacto, necessariò tamen extendi debent ad sponsalia, quæ sunt via ad Matrimonium, ne ex talibus coactis sponsalibus sit obligatio ad contrahendum Matrimonium ex metu.

DISPUTATIO XLV.

De Matrimonio secundum se.

Matrimonium ità potiùs à matre quam à patre dicitur; quia plura onera matri in gestatione, editione, & educatione prolis, quæ finis est Matrimonii, incumbunt, sicut econtrà, quia patris est providere prolibus de temporalibus bonis, substantia à parentibus relicta prolibus vocatur à patre patrimonium. Potest autem Matrimonium sub duplici ratione considerari, imprimis prout est contractus & in officium naturæ, & sic eidem præmitti solent sponsalia, deindè prout est Sacramentum à Christo institutum: quia contractus matrimonialis baptizatorum à Christo Domino est elevatus ad rationem Sacramenti: de Matrimonio sub priore consideratione fit

QUÆSTIO I.

In quo consistat Matrimonium essentialiter?

Matrimonium accipi potest dupliciter, imò Pro ipso permanente statu Matrimonii, & sic dicitur Matrimonium in facto esse, addò. Pro actuali